

IVSTI LIPSI  
EPISTOLARVM  
SELECTARVM  
CENTVRIA  
SINGVLARIS

Ad Italos & Hispanos, quive in iis locis.



ANTVERPIÆ,  
EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Ioannem Moretum.

cIc. Iciv.

Cum Privilegiis Cesareo & Regio.

ILL<sup>MO</sup> ET REV<sup>MO</sup>

# F R E D E R I C O

B O R R O M Æ O,

S. R. E. CARDINALI, &

*Archiepiscopo Mediolanensi:*



NIMVS iamdiu me impulit,  
munus aliquod ad te mittere:  
& caussas habui à beniuolen-  
tiā, imò & beneficentiā tuā.  
An non sic interpreter huma-  
nissimam ad me scriptionem,  
cūm in hæc loca primitūs venissem, quā me  
non dicam in Italiā, sed in domum tuā in-  
uitasti? Et iterasti hanc benignitatem sæpiùs:  
vt iure obligatum me fatear, nexu quem pro-  
fiteri magis, quām soluere ego possim. Et ec-  
ce profiteor animo, ore, stilo: & hoc nomen  
in fronte huius libri prescribo. Quem non  
donum, sed syngrapham ad te mitto. qui au-  
tem donum, quod nec meum quidem dixe-  
rim? nisi collectione fortasse & ordine: cūm  
singulæ Epistolæ singulos suos iamdiu domi-  
nos habeant, ad eos missæ & inscriptæ. Hoc  
tamen meum, quòd sparsas vel errantes rede-  
gi in numeros & CENTURIAM: si vel eo no-  
mine ac titulo leuis hic miles dignus: qui

+ 2 adeò

I V S T I L I P S I  
E P I S T O L A R V M  
C E N T V R I A S I N G V L A R I S  
Ad Italos & Hispanos.

E P I S T O L A I.

Pisac.

Ivstvs Lipsijs Hieronymo Mercvriali s. d.



ERTE raro inter nos scribimus, & id pro affectu meo in te dolet. Quid mihi gratius, quam te affari & alloqui, quem amo & aestimo vnum nunc pñne Italorum? Sed locanos sciungunt, vt vides; atque etiam miseriae istae temporum, & dissidia animorum. Cui rei tamen medicina nunc in parte. Nam ego me abduxì à locis, in quibus vixi hactenus, & transfuli in Germaniam ad loca priuora. Puto me capis. atque occasio erit non solùm sèpius inter nos scribendi, sed etiam liberiùs, remoto omni metu illo suspicionum, quæ me frustra premebant. Ego bonus sum, sui, & magis palam ero. Tibi, pro amicitia nostrâ, liberè hoc indicatum volui. De Magni Ducis Errutiae honestâ conditione, quam mihi defert; nihil adhuc accepi, præter ea quæ litteræ tuæ strictim delibant. Tamen, vt nunc valetudo & res meæ sunt, parere & obsequi vix possum, et si benignissime vocanti. Italiam vestram amo supra omnes terras, sed frui eâ & vobis multa nunc vetant: utinam tamen vel cursim iterum possem inspicere, & vos tales amplecti! digito videat mihi cælum tangere, & beatus esse supra omnes beatos. Videbo quid valetudo feret, in quâ curandâ nûc totus sum, & ad fontes acidulos me confero, ad intcmperiem hanc mitigandam aut (ô utinam Deo visum) tollendam. Vale vir maxime, & semper mihi care. Fran-  
cofurti ad Mœnum, xviii. Kal. Maijas. 10. xci.

A

EPI-